¶ CORR. ROM. *a Quibus scriptæ.*] Anteà legebatur, *quibus diversæ scripturæ factæ sunt.* Emendatum hoc est ex manuscriptis, & originali, quemadmodum & nonnulla alia.

MULTA EX CAUSA CONSTITUUNTUR.
DISTINCTIO XXX.

GRATIAN. 1. *Pars.*

ILlud autem, quod in Canone Apostolorum, & in Gangrensi Concilio, & in sexta Synodo legitur, ex causa consideratur, & ex tempore. Causa fuit Hæresis Manichæorum *a*, quia conjugium detestabantur, sicut etiam quorumdam superstitio multa in Catholicorum detestationem introduxisse invenitur: contra quos capitibus sexdecim statutum legitur

¶ CORR. ROM. *a Manichæorum.*] Propriè Gangrensis Synodus statuit contra Eustathianos, ut suprà *dist.* 16. *c. prima admotatio.* Sed hunc errorem Eustathiani hauserant à Manichæis.

I. IN CONCILIO GANGRENSI, [c. an. 324. *in Paphlagonia.*]

De multimoda superstitione Hæreticorum, quos Gangrense Concilium anathematizavit.

[a] Ivo, *p.* 8. *c.* 319. SI qui filii [a] parentes, maximè fideles, deseruerint occasione Dei cultûs, hoc justum esse judicantes; & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum *a* in eis venerentur, quòd fideles sunt, anathema sint [b].

[b] *al.* sit.

¶ CORR. ROM.] In aliquot vetustis exemplaribus hæc omnia, quæ hic citantur ex Concilio Gangrensi, unico capite, & conjuncta oratione leguntur. Sunt autem ex prisca versione. Sed ea, quæ est Dionysii Exigui longè magis respondet originali Græco, quamvis neque ipsâ usquequaque.

a Ut hoc ipsum.] Græcè est, Πρεσβυτέρους ὁπωσοῦν παρ' αὐτοῖς τῆς θεοσεβείας. Id est, *quòd scilicet Divinus cultus apud ipsos omnibus rebus præferatur.*

II. *Item* EX EODEM, *c.* 17. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[c] Burch. *l.* 8. *c.* 62. Ivo *p.* 7. *c.* 80. & *p.* 8. *c.* 320. QUæcumque mulier [c], Religioni *a* judicans convenire, comam sibi amputaverit, quam Deus ad velamen ejus *β*, & ad memoriam subjectionis illi dedit, tamquam resolvens jus [1] subjectionis, anathema sit.

¶ CORR. ROM. *a Religioni.*] Græcè est, Διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, id est, *ob eam, quæ existimatur pietatis exercitatio:* quod Dionysius vertit; *propter Divinum cultum, ut existimat.* Græci enim Religiosorum, quos nos dicimus, vitam propriè ἄσκησιν nominabant. Burchardus, & Ivo *in p.* 7. secuti sunt versionem Dionysii, *in octava* autem Ivo priscam.

β Ad velamen ejus.] Hæc non sunt in Græco originali, neque in versione Dionysii. Videntur autem sumpta *ex Epist.* 1. *ad Corinthios c.* 11.

¶ PITH. [1] *Jus.*] V. C. *jura.*

III. *Item* EX EODEM, *c.* 14. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[d] Ivo, *p.* 8. *c.* 229. & 317. [e] *al.* contemnendo. SI qua mulier [d] derelicto viro discedere voluerit soluto vinculo conjugali, nuptias condemnando [e], anathema sit.

IV. *Item* EX EODEM, *c.* 10. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[f] Repetitur infrà *dist.* 31. *c. quicumque.* ex versione Dionys. Burch. *l.* 8. *c.* 64. Ivo *p.* 7. *c.* 82. & *p.* 8. *c.* 316. & hoc secundo loco ex *hac eadem versione.* SI quis [f] propter Deum virginitatem professus, in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit.

V. *Item* EX EODEM, *c.* 9. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[g] Burch. *l.* 8. *c.* 61. Ivo *p.* 7. *c.* 79. SI quis vel virginitatem [g], vel continentiam professus *a*, tamquam abominabiles nuptias judicat [2]; & non propter hoc solum, quòd continentiæ, & virginitatis bonum, sanctum propositum est, anathema sit.

¶ CORR. ROM. *a Professus.*] Hic erat additum, *in conjugio:* quod neque est in canone Græco, neque etiam in Latino, qui citatur infrà *dist.* 31. *c. quicumque*, neque in multis manuscriptis Gratiani codicibus.

¶ PITH. [2] *Judicat.*] V. C. *Dicat*, & *non solùm propter hoc quòd continentia & virginitas sit sanctum propositum, anathema sit.*

VI. *Item* EX EODEM, *c.* 13. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[h] Burch. *l.* 8. *c.* 60. Ivo, *p.* 7. *c.* 78. SI qua mulier [h] suo proposito utile judicans, ut virili veste utatur; propter hoc virilem [3] habitum imitetur *a*, anathema sit.

¶ CORR. ROM. *a Imitetur.*] Græcè legitur, Καὶ ἀντὶ τοῦ ἰδιοπρεποῦς γυναικεία ἀμφιέσεως, ἀνδρεῖον ἀναλάβοι, quæ Dionysius Exiguus aptè vertit, *& pro solito muliebri amictu virilem sumit*; sicque habet Burchardus, & ferè etiam Ivo.

¶ PITH. [3] *Propter hoc virilem.*] V. C *ad hoc viri.*

VII. *Item* EX EODEM, *c.* 18. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[i] Burch. *l.* 13. *c.* 219. Ivo *p.* 4. *c.* 51. SI quis [i] [4] tamquam hoc continentiæ convenire judicans, die Dominico jejunaverit in ejusdem *a* diei contemptum, anathema sit.

¶ CORR. ROM. *a In ejusdem.*] In originali hujus priscæ versionis est, *aut in ejusdem diei contemptum:* quod in versione Dionysii, quam attulerunt Burchardus, & Ivo, istis vocibus videtur exprimi, *aut contumaciam*, al. *propter contumaciam.* Sed in Græco vulgato nihil est, quod istis respondeat.

¶ PITH. [4] *Si quis, &c.*] V. C. *Si quis non dijudicans die Dominico jejunaverit, tamquam in ejus diei contemptum, anathema sit.*

VIII. *Item* EX EODEM CONCILIO GANGRENSI, *c.* 19. [c. an. 324. *in Paphlagonia.*]

De eodem.

[k] Burch. *l.* 13. *c.* 15. Ivo *p.* 4. *c.* 38. SI quis eorum [k], qui in proposito sunt continentiæ, propter [5] necessitatem *a* corporalem [6] superbiat, & jejunia communia putaverit contemnenda, totius Ecclesiæ perfectam in sua conscientia judicans rationem, anathema sit.

¶ CORR. ROM. *a Propter necessitatem.*] Nihil mutatum est ob Glossas: ceterùm multis modis discrepat à prisca versione, & à Dionysiana, quam secuti sunt Burchardus & Ivo. Prisca sic habet: *Si quis eorum, qui in proposito sunt continentiæ, præter necessitatem corporalem, & superbiens jejunia communia totius Ecclesiæ putaverit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem, anathema sit.* Dionysiana autem hoc modo: *Si quis eorum, qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.* Quæ versio in ceteris quidem partibus originali Græco, etiam vulgato, satis respondet: sed in postrema insignis est varietas. Nam ubi Dionysius habet; *stimulo suæ cogitationis impulsus*; in Græco vulgato est, ἀποκυβερνῶτος ἐν αὐτῷ τελείᾳ λογισμῷ, id est, *nimirum perfecta, quæ in ipso est, ratiocinatione, illa abrogante.* In manuscriptis autem hujus Canonis exemplaribus partim est, ὑποικοδοῦντος, id est, *perfecta in eo residente ratione:* partim, ἐπικυροῦντος id est, *perfecta, quæ in ipso est, ratione sibi auxilium ferente.* Notantur verò Eustathiani (quos posteà Bogomilici sectati sunt) qui ita statuebant, peracto certo quodam jejunio, ad eam se perfectæ vitæ rationem pervenisse, ut posteà omnia sibi essent indifferentia, nullisque præceptis obligarentur; sed soluti omnino essent, ac ne peccare quidem possent: qua de re Balsamon in Capitis hujus interpretatione.

¶ PITH. [5] *Propter.*] V. C. *præter.*

[6] *Necessitatem corporalem.*] V. C. add. *Supervenientem jejunia communia totius Ecclesiæ putaverit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem*, &c.

IX. *Item* EX EODEM, *c.* 20. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[l] Pann. *l.* 2. *c.* 8. SI quis per superbiam [1] tamquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca, & Basilicas [7] Sanctorum Martyrum fiunt, vel [8] accusaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas [9], anathema sit.

¶ PITH. [7] *Et Basilicas.*] V. C. *vel.*

[8] *Vel.*] abest in V. C.

[9] *Contemnendas.*] Addit V. C. *putaverit.*

X. *Item* EX EODEM, *c.* 5. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[m] Burch. *l.* 3. *c.* 94. Ivo *p.* 3. *c.* 84. SI quis docet [m] domum Dei contemptibilem esse debere, & congregationes [10], quæ in ea fiunt, anathema sit.

¶ PITH. [10] *Et congregationes.*] V. C. *& non sequitur congregationes.*

XI. *Item* EX EODEM, *c.* 6. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[n] Burch. *l.* 3. *c.* 95. [o] *al.* consilio. SI quis extra Ecclesiam [n] privatim populos congregans, contemnat Ecclesiasticas Sanctiones *a*, ipsamque Ecclesiam apud se sine Concilio [o] [11] Episcopi cum Presbytero agat, anathema sit.

¶ CORR. ROM. *a Sanctiones.*] Post hoc verbum in prisca versione ista sunt interjecta, *aliterque ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit usurpare, non conveniente Presbytero juxta decretum Episcopi, ipsamque* & cetera, quæ hic sequuntur. Dionysii autem versio, quæ optimè respondet verbis Græcis, & refertur à Burchardo, hæc est: *Si quis extra Ecclesiam seorsum conventus celebrat, & despiciens Ecclesiam, ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit usurpare, non conveniente Presbytero juxta decretum Episcopi; anathema sit.*

¶ PITH. [11] *Sine concilio.*] V. C. *sine Presbytero agat, & sine consilio Episcopi, anathema sit.*

XII. *Item* EX EODEM, *c.* 1. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[p] Infrà, 31. *dist. cap. si quis vituperat.* ex versione Dionysii. Burch. *l.* 8. *c.* 61. Ivo *p.* 7. *c.* 79. SI quis nuptias [p] in accusationem duxerit [12], & mulierem [13] fidelem, ac religiosam cum viro suo dormientem, abominandam crediderit, aut etiam accusandam, tamquam non posse conjugatos in regnum Dei ingredi, anathema sit.

¶ PITH. [12] *Duxerit.*] V. C. *deduxerit.*

[13] *Et mulierem.*] V. C. *& mulierem abominandam crediderit.* Vide Socrat. *lib.* 2. *cap.* 43.

XIII. *Item* EX EODEM CONCILIO GANGRENSI, *c.* 2. [c. an. 324. *in Paphlagonia.*]

De eodem.

[q] Ivo, *p.* 4. *c.* 30. [r] *al.* immolatam, & suffocatam. SI quis [q] [14] carnem manducantem ex fide cum religione, præter sanguinem, & idolo immolatum [r] [15], & suffocatum, crediderit condemnandum, tamquam spem non habentem, qui eam manducat [16], anathema sit.

¶ PITH. [14] *Si quis.*] Non est in meo, sed est in Isidori codice.

[15] *Immolatum.*] V. C. *immolatam crediderit condemnandam.*

[16] *Qui eam manducat.*] V. C. *quòd eas manducet.*

XIV. *Item* EX EODEM, *c.* 15. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[s] Ivo, *p.* 8. *c. l.* 318. SI quis dereliquerit [s] proprios filios suos [17], & non eos aluerit, & (quod pietatis est *a*) necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema sit.

¶ CORR. ROM. *a Quod pietatis est.*] Longè fideliùs Dionysius: *& quod ad se pertinet, non ad pietatem Divini cultus informat.* Græcè enim est; πρὸς τὸ ὅσιον αὐτῷ [t] πρὸς θεοσέβειαν τὴν πρέπουσαν ἀνάγκη: subintelligitur autem particula negans, id est, μὴ, ex superiore membro.

[t] *al.* ἐφ' ἑαυτῷ.

¶ PITH. [17] *Filios suos.*] V. C. *filios ut non eos alat, atque eis secundum pietatem necessaria non præb. Sed occasione, &c.*

XV. *Item* EX EODEM, *c.* 12. [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[u] Burch. *l.* 8. *c.* 63. Ivo, *p.* 7. *c.* 81. [x] *al.* beris. SI quis virorum [u] putaverit sancto proposito (id est, continentiæ) convenire, ut pallio utatur, tamquam ex eo justitiam habiturus; & reprehendat vel judicet alios, qui cum reverentia birris [x] utuntur, & alia veste [18] communi, quæ in usu est, anathema sit.

¶ PITH. [18] *& alia veste.*] V. C. *aut alba veste, aut communi, &c.*

XVI. *Item* EX EODEM, *c. ultimo.* [c. an. 324. *ibid.*]

De eodem.

[y] 2. *Pars.* Ivo, *p.* 8. *c.* 321. HÆc autem [y] [19] scripsimus non abscindentes eos, qui in Ecclesia Dei secundùm Scripturas sanctum propositum continentiæ eligunt: sed eos, qui suscipiunt habitum *a* ejus, & in superbiam efferuntur adversùs eos, qui simpliciùs vivunt. Sed & hos condemnamus, qui se extollunt adversùs Scripturas, & Ecclesiasticos Canones, & nova introducunt præcepta. Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam cum castitate & religione Deo acceptissimam dicimus: & renunciationem secularium negotiorum, atque actuum cum humilitate approbando laudamus; & nuptiarum vinculum *β*, quod secundùm castitatem [z] perdurat, honoramus; & divites [20] cum justitia, & operibus bonis non abjicimus *γ*.

[z] castitatem secum. *orig.* & *Ivo.*

¶ CORR. ROM. *a Eos, qui suscipiunt habitum.*] Græcè est: τοὺς λαμβάνοντας τὸν ὑπάρχοντα τῆς ἀσκήσεως εἰς ὑπερηφάνειαν κατὰ τῶν ἀφιλοτίμων βιούντων ἐπαιρομένους τε τῇ ψυχῇ τὰς γραφὰς, τούς τε ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας καινοτομοῦντας: *id est*, qui ex instituto exercitationis hujusmodi, capiunt occasionem sese efferendi, séque extollunt adversùs eos, qui simpliciùs vivunt, & adversùs Scripturas, & Ecclesiasticos Canones introducunt novitates.

β Et nuptiarum vinculum.] Græcè: τὸ γάμου συνοικησιον σεμνὸν, quæ Dionysius vertit: *& nuptiarum castum vinculum.*

γ Non abjicimus.] Post hæc verba in Concilio ipso proximè sequuntur, quæ habentur infrà *c. parsimoniam. dist.* 41.

¶ PITH. [19] *Hæc autem.*] Hæc non sunt apud Isidorum, neque in meo codice.

[20] *Et divites.*] *& divitias cum justitia & benignitate.*

XVII. *Item* EX CONCILIO MARTINI Papæ [a]. [c. an. 572. *in Hispania.*]

Anathematizatur, qui Manichæorum superstitiones sequitur.

[a] Apud Martinum Bracarensem *c.* 57. [b] Burch. *l.* 13. *c.* 20. Ivo, *p.* 4. *c.* 52. SI quis [21] Presbyter [b] *a* propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam [22], absque aliqua necessitate die Dominica pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichæi, anathema sit. §. 1. Similiter quia *β*, quod ab Apostolis traditum est, Canon tenet antiquus; placuit, ut per omnes Dominicas, & per omnes dies Paschæ usque ad Pentecosten [c], non prosternant *γ* se in oratione causâ [d] [23] humilitatis: sed recto vultu ad Dominum fungantur orationis officio: quia in his diebus gaudium resurrectionis Domini celebramus. Si quis etiam [e] *δ* non pro abstinentia, sed pro execratione escarum à carne [24] abstineat; placuit sancto Concilio ut præsultet, & tic, si vult abstinere, abstineat. Si autem spernit, ita ut olera cocta cum carnibus non degustet, iste non obediens, nec suspicionem hæresis à se removens, deponatur de ordine Clericatûs.

[c] *al.* Quinquagesimam. [d] *Abest* vox *ista ab orig.* [e] Ibid. *c.* 58.

¶ CORR. ROM. *a Presbyter.*] Sequebatur, *vel Diaconus.* Quæ sublata sunt, quoniam absunt à plerisque manuscriptis, & originali. Ceterùm Burchardus, & Ivo similem Canonem citant ex Concilio Turon. atque ita habent: *Si quis propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam, aut pro aliqua necessitate.* In aliquot Gratiani Manuscriptis est: *si quis præter publicam pœnitentiam, à Sacerdote acceptam, absque* [25] *aliqua necessitate*, &c. quæ optima videtur lectio. Nam *in capite* 18. Concilii Gangrensis, unde hoc videtur Martinus sumpsisse, nulla Presbyteri fit mentio, sed universè pronuntiatur, ut suprà *eâd. c. Si quis tamquam. Si quis ob pietatis, quemadmodum putatur, exercitationem, die Dominico jejunet, anathema sit*: & verba illa: *absque aliqua necessitate*, videntur huc importata ex *cap.* 19. ejusdem Concilii. Neque verò Presbyteris hujusmodi pœnitentiæ more Laicorum imponebantur, *c. illud cum sequentib. dist.* 50. *& c. fin. vers. nec enim.* 82. *dist.* Sed quando in gravissima crimina publicè incurrebant, depositi peregrinari jubebantur, *c. si quis Sacerdos.* XXX. *q.* 1. *c. Sacerdos. de pœnit. dist.* 6.

β Similiter quia.] Hoc sumptum est ex Canone ultimo Concilii Nicæni.

γ Non prosternant.] In codice Lucensi Regio legitur: *non prostrati, sed erecto vultu ad Dominum fungantur orationis officio.*

δ Si quis etiam.] Hoc sumptum est ex Concilio Ancyrano, *c.* 13. al. 14. *& in eo mentio fit Presbyteri, ac Diaconi.*

¶ PITH. [21] *Si quis.*] V. C. *si quis aut propter, &c.*

[22] *Acceptam.*] Sequitur in V. C. *aut aliquam necessitatem dicere.*

[23] *Causâ.*] Abest in V. C.

[24] *Esc arum à carne.*] V. C. *ab usu carnium.*

[25] *Absque.*] V. C. *aut.*

MULTA EX TEMPORIS CIRCUMSTANTIA CONSTITUUNTUR.
DISTINCTIO XXXI.

GRATIAN. 1. *Pars.*

TEmpus quoque, quia nondum *a* erat institutum, ut Sacerdotes continentiam servarent.

¶ CORR. ROM. *a Nondum.*] Quod ait hic Gratianus, fuisse tempus, quo nondum erat institutum, ut Sacerdotes continentiam servarent, in Subdiaconis (nam & hi Sacerdotum nomine interdum comprehenduntur, valétque idem Sacerdotis nomen, atque in Sacris constitutus, ut infrà *ad initium dist.* 33. notatùrque *in Glossa* 1. *q.* 1. *qui per pecuniam*) locum habere poteft. Fuit enim tempus, cum Subdiaconi in aliquibus provinciis, ut in Sicilia, continentiæ legibus non adstringebantur: quod Gregorii locus, qui solus ad hanc rem confirmandam proximè à Gratiano citatur, manifestè probat. Diaconis autem & Presbyteris in Latina Ecclesia numquam licuisse uxoribus, quas ante sacros Ordines duxerant, uti, ex Canonibus, qui post *primum in hac eadem distinctione* citantur, & aliis multis, præsertim *Epist.* 2. *Siricii ad Himerium Tarraconensem*, clarè demonstratur. Unde scribit

I. GREGORIUS I. Petro Subdiacono Siciliæ, *lib.* 1. *Epist.* 42. [an. 591. *Romæ in Siciliam.*]

Qui castitatem non promisit, ab uxore sua separari non cogatur.

[a] Pann. *l.* 3. *c.* 89. Polyc. *l.* 4. *tit.* 31. ANte triennium [a] Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem antè promisit, compellatur à sua uxore separari, atque per hoc (quod absit) deteriùs cadat. Unde videtur [b] mihi, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit, quatenus & præterita mala *a* quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura caute caveantur.

[b] Sup. *dist.* 28. *c. nullum.*

§. 1. Qui verò post eamdem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis uxoribus vixerunt, laudandi, atque remunerandi sunt, & ut in bono suo [c] permaneant, exhortandi. §. 2. Eos autem, qui post prohibitionem factam se à suis uxoribus continere noluerint, ad sacrum Ordinem nolumus promoveri: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

[c] Sic. *orig.*

¶ CORR. ROM. *a Mala.*] Vox ista abest à Polycarpo, & aliquot vetustis Gratiani Codicibus.

CAUSA verò hujus institutionis munditia Sacerdotalis fuit, ut liberè cunctis diebus orationi possint vacare. Si enim (ut Paulus ait [d]) ab uxoribus est cessandum, ut expeditiùs orationi vacemus; Ministris utique altaris, quibus quotidiana necessitas orandi incumbit, numquam conjugali officio vacare permittitur. Unde ait

GRATIAN. 2. *Pars.* [d] 1. *Cor.* 7.

II. BEDA in Commentariis super Lucam, *ad c.* 1. [c. an. 720. *in Anglia.*]